

05 H 556



N

S  
DN  
PRIN

S. T  
PR

B



STRICTURAE HISTORICO-THEOLOGICAE

In varia

# Naturalismi & Ratio- nalismi Capita,

Quas

*occasione loci Coloff. II, 8.*

D. O. M. A.

IN REGIA FRIDERICIANA

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

**DN. PHILIPPO WILHELMO,**

PRINCIPE PRUSSIAE, MARCHIONE BRANDEN-  
BURGICO, AC DUCATUS MAGDEBVR-

GICI GVBERNATORE,

ET RELIQUA

P R A E S I D E

**PAVLO ANTONIO,**

S. THEOL. D. PROF. PVBL. ET CONSIST. DVCAT.

MAGDEB. CONSIL. h. t. F. F. DECANO,

PRAECEPTORE SVO AETERNVM VENERANDO,

placido eruditorum examini

submittit

AVCTOR - RESPONDET

**BERNHARD GEORG. DRECKMANN.**

BIELFELDIA - WESTPHALVS.

A. D. 2. MARTII MDCCVIII.

---

HALAE MAGDEBVRGICAE,

Literis CHR. HENCKELII, Acad. Typogr.




05 H 556



teran  
sapin  
uio  
relig  
ne se  
frin  
i. Ti  
rus e  
pere  
Chri  
fidia  
mun  
inter  
tum



Q. D. B. V.



Singularem merentur obseruationem grauiſſima verba Pauli ad Colofſ. 2. 8. *Videte, inquit, ne quis vos decipiat per Philoſophiam & inanem fallaciam, ſecundum traditionem hominum, ſecundum elementa mundi, & non ſecundum Chriſtum.* Obſeruabit ſedulus diuinarum literarum ſcrutator, Paulum in ſuis paſſim Epiſtolis ſapius ſapientiam mundanam & gentilium placita grauiori notare cenſura, grauiſſimeque eos, qui ab ipſo religionis Chriſtianæ myſteria perceperant, dehortari; ne ſe Philoſophorum & ſapientiæ profanæ traditis conſtringi paterentur, i. Cor. I. 17. ſeqq. cap. III. 19. cap. II. 5. i. Tim. I. 4. cap. VI. v. 3. 4. 5. & 20. &c. Satis quippe gnarus erat, quin imo expertus fuerat Act. XVII. 18, quanto pere reluctetur ſuperbiens & tumida ratio Euangelio Chriſti. Nouerat enim Paulus morbos ſui æui, & inſidias Philoſophorum & ſapientum mundi, eo potiſſimum elaborantium; vt ſplendidum Euangelii lumen inter gentes accenſum, multorumque plauſu approbatum obfulcarent. Certant interpretes, quam præſer-

A 2

tim

tim Philosophiam hoc loco cauendam iubeat Paulus. Non loquitur de vera Philosophia, eadem enim ipse ad conuincendos gentiles vsus est, Rom. i. v. 19. 20. Act. XVII. 42. Falsam vero indigitauit, quam *κενήν ἀπάτην* vanam deceptionem, deprædationem pietatis, *ψευδώνυμον γνώσιν* appellat 1. Tim. VI. 20. Sunt nimirum, qui Paulum Gnosticos sæpius respicere magnopere vindicant. Ex Patribus Chrysofomus Hom. 18. in 1. Tim. VI. v. 20. ad verba *τῆς ψευδωνύμου γνώσεως*; huc collimare videtur inter alia commentans: *ἡ τάχα τῶτο φησὶ διότι τινὲς ἑαυτοὺς ἐκάλουν τότε Γνωστικὰς ὡς πλείοντι τῶν ἄλλων εἰδότες.* i. e. *Aut fortasse hoc ait, quia tunc seipsos quidam appellabant Gnosticos, ut qui aliis amplius quiddam scirent.* Sicuti etiam vir summus Grotius ad c. XXIV. Matth. de Carpocrate loquens, qui Gnosticorum princeps credebatur, cum memorauisset, quemadmodum ille ad *αἰῶνας* suos transtulerit omnem Theologiam Orphei, Hesiodi, & Pythagoræ. Et hæc, inquit timidius, primum est, nisi fallor, illa *ψευδώνυμον γνώσιν*, cuius ad Timotheum Paulus meminit. Sed postea maiore cum fiducia ad hunc ipsum Pauli locum commentans ita scribit: *Vide hic quam vetus nomen Gnosticorum, quod isti Philosophi Christianis cætibus se admiscentes indebant.* Putabant ergo, iam Pauli æuo peculiarem gliscere cœpisse sectam Gnosticorum nomine insignitam. Grotii vestigia, vt in reliquis plurimum, ita etiam hac in parte premit Celebris in Anglia Theologus Henricus Hammondus, qui in suis in Nouum Testamentum commentationibus abundanter Gnosticos suos crepat, & ex eorum placitis factisque plurima in N. T. lucem acceptura profitetur; quare a Clerico in suis, adiectis notis castigatur. Id quod etiam

iam præstitit doctissimus Iacobus Thomasius in Originibus Historiæ Eccles. & Philos. pag. 38. 39. increpans Hammondum, quod nulla temporum distinctione, quidquid vspiam de Gnosticis proditum, ad Apostolorum ævum per vim trahat. Nos vero negare non possumus, iam ab Apostolorum temporibus exitiales fuisse hæreticos, quales erant Simoniani, eiusq; sequaces Cerinthiani &c. Singularem γνῶσις Dei & mysteriorum iactitantes. Sed & omnino cum Thomasio dubitamus, p. 37. l. c. an iam ab Apostolorum ævo sectæ cuiusdam singulari nomen hoc tributum, vti postea factum. Gnostici forsitan Apostolicorum temporum fuerunt, qui ex Iudaismi, Gentilismi, & religionis Christianæ dogmatibus farraginem & mixturam opinionum confarcinabant, novam sic stabilientes sectam, atque ex illa hybrida doctrina Scripturam & religionem interpretabantur. Nisi forte cum celeberr. Rechenbergio in dissert. *An hæreticorum Patriarchæ philosophi*, quis opinari velit: Apostolum respexisse inter iudæos tres notas Phariseorum Sadducæorum & Essæorum sectas, quæ contra legem Dei gentium placita cum suis miscuerant, vid. Zieroldi *Einleitung zur Kirchen Historie* cap. 3. Quicquid sit, non displicet tamen hoc loco Clerici sententia assensum mihi extorquens, salva tamen aliorum dissentientium autoritate & libertate. *Facile quidem*, inquit ad locum Coloss. II, 8. *concefferim, philosophica dogmata intelligi hisce vocibus, sed mihi non constat, ad Gnosticos hic respici. Quidni enim referantur hæc ad Philosophos Ethnicos, qui non plenam atque integram veræ virtutis descriptionem habebant, sed tantum elementa quadam. Nemo certe dubitare queat, Philosophos fuisse per totam Asiam, qui Christianam religionem oppugnare poterant,*

terant, sed tam latè sparsos fuisse Simonis discipulos, non facile quisquam probauerit. Ab hoc ergo contagio, vt liberet Paulus Colossenses suos, ne se à fide in Christum dimoueri patiantur, speciosis philosophiæ & rationis humanæ commentis, urget & paternè monet. Nove-  
 tat enim discrimen spiritualium & naturalium, quod que illa non ex corrupto solius naturæ lumine sint di-  
 iudicanda. Quo tamen assurgere conetur *domina RA-  
 TIO* limitibus circumscripta, & sic introducatur natu-  
 ralismus ac abusus philosophiæ & rationis humanæ  
 in Theologia, maximarum hæresium scaturigo. Uti-  
 nam Pauli saluberrima monita posteriora fuissent secu-  
 ta tempora, tranquillior ac felicior fuisset, esset, & foret  
 Ecclesiæ facies. Sed sic omnia in peius mutata, dum  
 rationi aperta ianua fixos expatiandi terminos, & reli-  
 gionis Christianæ dogmata ad luxuriantis ingenii hu-  
 mani placita metiendi. Hæc mala mihi circa hunc ver-  
 sum meditati varia occurrunt, quæ me mouent, ut  
 cogitata mea qualicunque dissertatione de *Naturalis-  
 mo ac rationalismo*, huiusque origine, nempe *abusu  
 Philosophiæ ac rationis humanæ in Theologia*, erudito-  
 rum examini submitterem. Mali vero huius fons pro  
 captu ætatis meæ altius erit deriuandus.

Par. I.

Ergo primum erunt explorandæ ac cognoscendæ  
 Vires hominis naturales, & quid valeat ratio in sub-  
 limiori illa doctrina ac scientia Theologica.

Par. II.

Dein brevissimis ostendetur, multos fuisse, qui hos  
 allisère scopulos, & nimium rationem ac Philosophiam  
 extulerunt in spiritualibus, & sic in *Rationalismum ac  
 Naturalismum*, vel crassum, vel subtilem inciderunt.

Par. III.

Denique declarabimus, quod harum opinionum  
 fer-



fermentum homini Christiano maximè noxium sit, hominesque reddat elatos, securos, alienos à mente Christi.

P A R S. I.

§. I.

**A**D imaginem & similitudinem Dei Trinunius conditus erat homo, quæ primario sita erat in veritate, quoad intellectum & voluntatem, sapientia quippe, ac sanctitate iustitiaque; secundo in perfectionibus vitæ animalis cum immortalitate ac dominio in terrestres creaturas. Sic ergo homo collustratus sublimiori lumine, & instructus viribus integris, sublimiorem etiam rerum diuinarum habebat cognitionem, cognoscebat intimius voluntatem Dei, eaque possidebat mysteria, quæ per lapsum homines cæciores redditi attingere haud poterint; suffragante experientia & Scriptura Sacra nobis 1. Cor. II, 14. reuelante: *Hominem ψυχῶν non capere ea quæ sunt Spiritus DEI.* Sunt equidem, qui sub homine ψυχῶν solummodo comprehendere volunt stupidiore, & homines carnales affectibus deditos. Ita enim *Latitudinarii* in Anglia teste *Spanheimio in Elencho Controv.* p. 629. Contendunt: Paulum nullo modo voluisse hominem rationalem, sed carnalem tantum carnaliter iudicantem τὰ τὸ πνεῦμα, seu ex affectu carnis, non ex ratione. Sed id absque fundamento ita diuellitur. Reclamat apertè fatis mens Pauli de Sapientibus Mundi in hac Epistola uniuersim sermocinantis vid. cap. 1. 19. seqq. c. 2. v. 6. 8. 12. 13. c. 3. v. 18. Repugnat analogia & collatio locorum Scripturæ, quæ reuelationis lumen, seu τὸν φωτισμὸν Spiritus Sancti opponunt lumi-

lumini, quod iam naturaliter homo sibi tribuit, Matth. XI. v. 25. XVI. 17. Ioh. XVI. 13. Quibus tenebris semper utique dolus carnis, seu carnalis affectus adhæret Rom. VIII. 7. Ita etiam Iacobus Capit. III. v. 15. sapientiam humanam vocat ψυχικὴν, & opponit isti, quæ a Deo immittitur.

§. II. Sic frustra rationi corruptæ Scripturam S. patrocinari intelligunt ii, qui naturæ vires magno cum spiritu, more Pelagiano, ebuccinant, dementiae suæ vani admiratores, & plerumque intellectum vel voluntatem liberam esse a labe originali pronunciant. Putant enim, se multum liberi arbitrii & intellectus viribus efficere posse; ergo sibi persuadere nequeunt, has esse corruptas. Pro voluntate maxime militare videbatur *Claudius Paionus Aurelianensis in Gallia minister*: Hic peccatum originis in intellectu solum, non voluntate hominis hæreere asseuerabat, tantumque abesse, ut reliquæ corporis ac animæ facultates tristissima hac clade humani generis corruptæ sint. Voluntatem vero, si quando in eligendo obiecto conuenienti aberrat, ab intellectu deprauari. vid. *Vatent. Ernesti Löscheri Exercitat. Theologicam de Paioni doctrina § fatis p. 105. seqq.* Neque defunt, qui intellectus lumine naturali fascinati, eum non infectum esse peccato originis elate declamant, quò sic genio suo & inuentis tutius ipsi indulgere liceat.

§. III. Videamus vero, quæ nobis de conditione humana facultatum intellectus & voluntatis diuina reuelet pagina. Dicit Paulus 1. Cor. IV. v. 4. Deum huius sæculi in actu exercito occæcasse τὰ νοήματα τῶν ἀπίστων, ut Euangelium Christi huiusque illuminatio eorum animos

mos afficere haud potuerit. Deum vero v. 6. qui verbo suo creauit lumen, cum in rerum natura nihil præter tenebras essent, accendisse dicit Paulus in cordibus eorum lumen ad illuminationem scientiæ cognitionis & claritatis Dei in facie Iesu Christi. Eumque in finem mittitur Paulus Act. XXVI. v. 17. 18. ad gentes irregentitas, vt aperiat illarum oculos, quo conuertantur a tenebris in lucem, a potestate satanæ ad Deum, vt accipiant remissionem peccatorum &c. Et quando Petrus suo & reliquorum Apostolorum nomine protulit ingenuam istam confessionem Matth. XVI. 17. respondet ei Christus: Benedictus es Simon Bar-Iona, caro & sanguis (neque vllus hominum) hoc tibi reuelauit, sed pater meus, qui in cœlis est, qui que diligentibus eum ea præparauit, quæ neque auris audiuit, neque oculus vidit 1. Cor. II, v. 9. 10. Cognoscimus insuper gentes ambulare in vanitate mentis suæ obtenebratæ, & alienatas a vita Dei propter ignorantiam eorum Eph. IV, 17. 18. In voluntate hominis quoq; sese exerit auersio a Deo, eiusque dilectione, repugnantia aduersus legem Rom. VII. v. 15. 18. Rom. VIII. 3. 7. & rebellio ac lucta aduersus Spiritum Gal. V, 17. Quare homo non Deum quaerit, sed contra illum instar lapidis obrigescit Ezechiel. XXXVI. 26. Ideoque omne velle regentorum Apostolus operationi diuinæ acceptum refert. Et Dauides in Psalmis demisse rogat Deum, vt creet in ipso cor mundum, & innouet intra ipsum spiritum certum Ps. LI, v. 12. Non ergo hic vna facultas præ altera multis gaudet prærogatiuis, sed vti arctissimo sunt connexæ vinculo, ita pari malo obnoxia. Neruose hoc etiam respectu originale malum exprimit Pater Eccle-

B

sia

fiæ nostræ nunquam fatis laudatus *Lutherus in Commentario suo in Gen. VIII, v. 21. vocat Moses inquit figmentum ipsam rationem cum VOLVNTATE & INTELLECTV etiam tum, cum de Deo cogitat. Semper enim est contraria legi Dei, nec se liberare ab hoc malo potest suis viribus, secundum sententiam Christi liberi eritis, si vos filius Dei liberaverit. Si igitur hominem voles vere definire, ex hoc loco definitionem sume, quod sit animal rationale habens COR fingens. Quid vero fingit? respondet Moses malum contra Deum scilicet, seu legem Dei & homines. Tribuit igitur scriptura sacra homini rationem non otiosam, sed semper aliquid fingentem. Figmentum vero hoc malum impium sacrilegum. Nec possumus quin adiiciamus & ista, quæ leguntur ad Gen. c. III, 1. in eodem Comm. Habemus VOLVNTATEM quoq; & RATIONEM, sed quam multipliciter vitiatam. Sicuti enim ratio multiplici ignorantia oppressa est, ita voluntas non perturbata solum, sed auersa a Deo, & inimica Deo est, quæ cum voluptate ad Deum fertur, vbi diuersum faciendum erat. Non itaque hæc naturæ multiplex corruptio extenuanda, sed magis amplificanda est, quod homo ab imagine Dei a notitia Dei in inimicitiam erga Deum lapsus est.*

§. IV. Sic itaque, testimonio sacrarum literarum cum *Luthero conuicti, conspiciamus profundissimis tenebris malisque esse immerfas vires naturales proprias. Nec id denegarunt gentilium sagaciores i. e. Philosophi. Malum συγγενές agnouit Aristoteles; malum σύμφυτον Pythagoras. In Platonis politico vestigia lapsus hominis inueniuntur. Reperit in se aliquid Seneca, quod tendentem alio traxit, & eo, vnde recedere cupiebat, impulit, quod cum eius animo colluctatum est, vnde se emer-*

mergere non potuit. Plura testimonia ex fanioꛑe gen-  
tilismo collegerunt Mornæus in lib. *de veritate religionis*  
*Christi*. cap. XVII. Pfannerus in *Theol. Gentili* cap. IX. Pet.  
Dan. Huetius in *Concordia rationis & fidei* lib. II. cap. 9.  
Itaque non subirascendum Augustinò, quasi in eius ce-  
rebro peccatum originale excogitatum fuerit, vti à So-  
cini affectis fieri solet. Ab hac suspitione ipsemet se  
purgat Augustinus lib. I. contra Iulianum cap. 2. Com-  
plures allegans originalis labis assertores ex patribus  
orthodoxis seipso priores: Veluti Irenæum, Cypria-  
num, Olympium, Hilarium, Ambrosium, Gregorium  
Nazianzenum, Basilium Magnum, Iohannem Chryso-  
stomum, quibus etiam adiungit omnes illos præfules  
& Episcopos quatuordecim, qui in Diospolitano Conci-  
lio Pelagium ad sui dogmatis perniciosi damnationem  
adererunt. Dein accedens ad testimonium Hierony-  
mi sic Iulianum Pelagianum compellat. Nec Sanctum  
Hieronymum quia Presbyter fuit contemnendum ar-  
bitreris, qui græco latino & ebræo eruditus eloquio ex  
Occidentali ad Orientis transiens Ecclesiam, omnes vel  
pene omnes, qui ante illum ex vtraque parte orbis de  
doctrina Ecclesiastica scripserant, legit. nec aliam hac de  
re tenuit promisitque sententiam. Hic cum exponeret  
Ionam Prophetam apertissimè dixit: quod etiam paruuli,  
peccato offendentis Adam tenentur obnoxii vid. *For-  
besii Instruct. Histor. Theolog.* lib. VIII. cap. 2. §. 4. Adde quæ  
ex Macario collecta sunt huius veritatis inuicta testimo-  
nia in dissertatione *de Ortu Mali*. Neque omnino tacen-  
da essent Antiquitatis Iudaicæ suffragia, quæ tempori vt  
parcam de industria non colligo, cum eo labore iam ex  
parte defunctus sit peritissimus rerum Iudaicarum

Theologus Giessensis Henricus Maius in *Theologia In-*  
*daica* loc. VII. de Peccato p. 105. seqq.

§. V. Hac veritate & indole humana rectè cog-  
nita tantum momenti in illa situm est, vt ab ea pendeat to-  
tius dissertationis nostræ nexus & veritas, imo tota  
Euangelicæ doctrinæ Oeconomia. Neque enim, inquit  
*Apolog. August. Confess.* p. 56. potest intelligi magnitu-  
do gratiæ, nisi morbis nostris cognitis, & quo altius ac  
profundius quis penetrauit in abyssum huius miseræ, eo  
magis contendet ad totum Pietatis de Deo in carne ma-  
nifestato mysterium, & agnitionem sui superbæque ra-  
tionis vltra sphæram sese eleuantis, quæque stulta sui  
admiratione ita fascinata, vt non se deiici & gratiæ diuinæ  
subiici patiatur. Hinc oritur disquisitio, quidnam effi-  
cere possit rationis ministerium in Theologia reuelata.  
De *ratione* si dicimus, intelligimus nunc vnus potissi-  
mum facultatis proprium exercitium, nempe *intelle-*  
*ctus*. Alias gnari sumus, quod etiam *voluntas* tanquàm  
altera facultas, & ex illa fluentes actiones humanæ, iu-  
stos transilire possint limites in Theologia practica; si  
nimirum non distinguamus rectè inter virtutum exer-  
citia moralia & Christiana, inter carnem & Spiritum, seu  
fidem tanquàm principia actionum hominis regeniti &  
irregeniti Rom. XIV, 23. Rom. VIII, 5. Cautè hi sunt  
evitandi scopuli, quos allisère præsertim Pelagiani &  
Scholastici. Siquisquam hoc arcanũ detexit, fecit id Me-  
galander noster Lutherus in Commentationibus suis  
passim in *Genesin, ad Romanos, ad Galatas*, maximè vero  
in eximio opere de *seruo arbitrio* contra Erasmum tum  
Pelagianizantem, & gentilium virtutibus liberique arbi-  
trii viribus nimium tribuentem. Id quod iam olim Au-  
gusti-

Augustinus in Iuliano taxauerat, asserente: Fabricios, Fabios, Catones veras habuisse virtutes operaque verè bona exercuisse. Hoc est inquit Augustinus vnde vos maxime Christiana detestetur Ecclesia, pluribusque ostendit: homines infideles non habuisse veras virtutes, sed quæ in eis videntur esse virtutes nihil aliud esse, quam vitia, quæ per quandam similitudinem finitima videntur ac propinqua virtutibus & quadam specie fallente similia. Quicquid enim non ex fide istud peccatum est. Heb. XI, 6. *vid. Forbesii Inst. Hist. Theol. lib. 8 cap. 2. §. 13.* Huc respiciunt purioris veritatis instauratores Lutherus & Melancthon in *Aug. Confess. p. 18. & Apolog. p. 61. 62. seqq.* Idque maxime pro scopo habuerunt, vt genuinam indolem & faciem Theologiæ à Scholasticorum nævis & commentis philosophicis repurgarent, ac puritati suæ restituerent *vid. Magnif. Domini Breithauptii Orat. de Genuina Indole Reform. Evangelica.* Copiose & solide hæc omnia discussa edidit Max. Rever. Dn. Præses in tractatu Theol. de *Natura & Gratia* videatur in super Spenerus *von Natur und Gnade.*

§. VI. Ergo pro scopo nostro intellectum hominis sese philosophicis suis rationib9 supra mysteria diuina efferentem conspiciamus. Cognouimus, eum post lapsum virtute sua directrice quam maxime imminutum esse. Non tamen sic eum deprimimus, quasi eius culturam ac philosophiam tanquam donum Dei. eiusque verum vsum verbo diuino & sanioribus Christianismi principiis conformatum reiicere, ac ignorantia fratibus ianuam denuo quasi aperire velimus. Illos modo notamus, qui rationem suam satis profanam statuunt nor-

mam fidei, & mysteria Christianæ religionis, secundum rationis peruersæ dictata examinant; homines philosophastri cœcutientes in notitia sui rerumque diuinarum. Agnoscimus philosophiam multiplicem in vita humana præstare vsum, nec negamus eandem Theologiæ inferuire posse, vbi ancillantis ministerio fungitur, tacet vbi loquitur Domina pati vult Correctionem vbi commissus est error, manetque in sua *περι-Φερέα*, non se ingerens in penetralia Dei & arcana diuina. Hinc his in terminis erit obseruandus illius vsus *illustratiuus, collatiuus, illatiuus, probatiuus*. Siquidem rationis est Scripturæ loca accessorie illustrare, ea colligendo quandoque ex libro naturæ, historiis, antiquitatibus, literis humanioribus, disciplinis, aliisque scientiis, quæ mihi suppeditant singulares obseruationes vel circa explicanda, probanda & distinctius homini proponenda diuina oracula. Quantum adminiculum in eo situm sit, & quantopere æuo nostro sit gratulandum de instauratis literis humanioribus, disciplinis, Philologia sacra a Luthero multum æstimata & commendata, nec contemnendam lucem adspergente textibus Scripturæ sacræ, præceptis sit oportet & inconsideratus, qui hæc diuina non agnoscat beneficia.

§. VII. Sed nec Critici ipsi interdum liberi sunt ab abusu rationis, & obseruationum Criticarum. Dum enim mente nouarum opinionum cupida scripturam inuolant, auctoritatem eius, imo diuinitatem eleuant, sensum torquent, & pro lubitu secundum vnam vel alteram regulam criticam nonnulla expungunt, mutantque; mihi certe *rationalismi & naturalismi* semina foedere ac spargere videntur, & recedunt omnino a vero

&



& salutari vsu scripturæ sacræ. Fuere autem tempora, cum viri eruditi, dum antiquitates amarent scrutari, & Philologiam sacram excolere inciperent; literas sanctiores maiori cum reuerentia tractarent, nec eas sic temere vel expungendas, vel corrigendas inuaderent, & quicquid gentes haberent boni, ad Hebræos seu ad Mosén referrent; vti ex libello, cui *titulus Delphi Phanizantes*, conspici ex parte potest. Quin hic adeo prolixus est *Huetius in Demonstratione sua Evangelica*, vt putarit, *Uniuersam Ethnicorum Theologiam ex Mose manasse*. Sed mutantur hisce temporibus multorum Criticorum & Philologorum studia, facem ex parte præferentibus *Marshamo*, ac *Spencero*, qui religionem Iudaicam a Gentilibus & Aegyptiis deriuant, eumque in finem eorum mysteria excutiant, vt si quid in iis inueniant sacris Mosaicis simile, id horum ἀρχέτυπον constituent. Tali vero modo gratia Iesu Christi, & Oeconomia, ac vis fœderis Evangelici in V. T. vel negatur, vel obscuratur ab illis, non curantibus ea, quæ nobis de hisce tradit *Epistola ad Hebræos*, edocens: Hebræorum leges V. T. esse ὑπόδειγμα, τύπον, παραβολήν, σκιάν τῶν μελλόντων, ἢ ἐπικρατίων ἀγαθῶν, παιδαγωγόν ad Christum. Heb. VIII, 5. 6. 7. IX. 23. 24. X. 1. Gal. III, 24. Idem tere obiecere primis Christianorum sæculis gentilium Philosophi quidam, qui Iudæorum & Christianorum mysteria deblaterarunt. Ita enim *Simplicius* apud *Huetium* in *demonst. Euangel.* pag. 148. conuitiatur, Iudæos ab Aegyptiis defecisse, & quicquid illi haberent boni, ab his accepisse, quæque a Mose dererum creatione tradita sunt, ea esse fabulosâ, & ex fabulis Aegyptiorum expressâ. Ita & *Celsus* apud

Ori-

Originem multa contra veritatem religionis antiquæ iudaicæ & Christianæ effutiebatur impie. Quæ sanè mendacia non tulere Patres, sed eruditè reiecerunt, & Mosis antiquitatem vindicârunt: videlicet *Clemens Alexandrinus Strom. lib. II. V. Origenes contra Celsum lib. VI. Eusebius in præp. Euangel. lib. X. cap. 4. lib. XI. 3. Augustinus de Ciuit. Dei lib. VIII. cap. 3.* Pariter & nostro æuo à *Spencero & Marshamo* in orbem reuocatas hæc hypotheses plurimi examinârunt & refutârunt. Quos inter imprimis videatur *Witſius in Aegyptiacis*, & max. Rev. Dn. Præſidis *exercitatio hiſtorica de circumciſione gentilium, Marsbamo opoſita, Lipſiæ. 1682.* Criticis eiusmodi e multis, nostro præſertim æuo, iungendos eſſe arbitror *Richardum Simonium & Iobannem Clericum*, doctiſſimos alias viros, quorum audaces in ſacrum codicem obſervationes Criticæ, rationaliſmum ſpirantes, orbi literato notæ. *Simonium* inter alios e noſtris ſolidè & eruditè refutauit laudatus *Henricus Maius*, qui in peculiari quoque diſſertatione *Artem Criticam Clerici ſub examen reuocauit.* Nec minus graphice hoſce alloquitur *Celeberr. Witſius Miſcell. Sacr. lib. I. p. 89.* data occasione calamum in Clericum ſtringens: *Si diuini aliquid in Pentateucho, inquit, agnoſcitis: quid ita de eo loquimini, vt de Xenophontis, aut Thucydidis, de Polybii aut Liuii Hiſtoria nemo loqueretur Criticorum, in quorum ſcriptis decies plus cura deprebenditis, quam in hoc ſacro volumine? Si nihil agnoſcitis diuini: cur non deponitis laruam? cur illius videri vultis religionis cultores, cuius omne in illis literis fundamentum eſt, quas diſſimulare non poteſtis, nou vultis in tam exiguo vobis eſſe pretio? Ignoscite mihi, quod tali vos oratione compellem. Credidi: idcirco locutus ſum. Si vos crederetis, non ita nunc loque-*

loqueremini. In eius sane *Liberio*, [quæ] Socinianismi principia reperiantur, iam constat abunde ex Dn. S. E. *Cypriani animaduersionibus in Liberii huius epistolas Theologicas*, Helmstadi habitis, *Præside Venerabili Schmidio*, Præceptore itidem meo nunquam non obseruanter colendo. Sic ergo caute erit adhibenda ars Critica, ne committamus abusum & autoritati Scripturæ eiusque diuinitati multum detrahamus.

§. VIII. Philologiæ itaque & philosophiæ omnino hic erit vsus aliquis, vt textum Scripturæ cum aliis textibus Scripturæ grammaticæ & logice *conferamus*, adhibita literæ connexionione in suo genere. Item dogmata vetera cum hodiernis *conferamus*, nec minus vnum ex alio, per nexum bonæ consequentiæ in Theologia, seu sit adstruenda veritas, seu debellandus error, *inferamus*, & bono ordine probemus, vindicemus, subseruendo τῷ διδακτικῶν εἶναι τῷ δευδοτομένῳ, ἢ τῷ τὰς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν 1. Tim. II, v. 15. Tit. I, v. 9. adhibita semper rei ipsius indole altius sane petenda. Atqui cum talis sit admittendus *rationis & philosophiæ vsus moderatus*, ex aduerso illi non leues errores incurrere possunt, qui eum plane eiuratum volunt, omnem promiscue philosophiam damnantes. Cum historia teste quoque constet, ex Philosophis olim Christianos egregios factos nonnullos esse, qui veram religionem defende-  
runt. Exempli loco *Iustinum Martyrem, Irenæum, & Athenagoram, Tertullianumque nominabo. Augustinus lib. II. de doctrina Christiana cap. 40. plures allegat & commendat. Et Gregorius Nazianzenus scribit Orat. 3. f. 61. Philosophia quidem probis & honestis virtutis instrumentum est, ac subsidium, improbis vero ac flagitiosis πάντων κακίας γίνεται*

γίνεται, stimulus malitia fit. Sicuti etiam *Isidorus Pelusio-*  
*za lib. V. Epist. 558. f. 718.* Verum Philosophiæ usum in-  
 dicat, hisce verbis: ἡμεῖς ἀληθῆ φιλοσοφίαν ὀρίζομεθα,  
 τὴν μηδὲν τῶν ἡκόντων εἰς εὐσέβειαν ἢ ἀρετὴν παρορῶσαν.  
 „i. e. Nos veram Philosophiam definimus eam esse,  
 „quæ nihil eorum, quæ ad pietatem & virtutem faci-  
 unt, negligit. Hæc ergo, duce Christo, omnino ex-  
 colipoteft.

§. IX. Contra multa peccare potest Philosophia  
 & ratio in Theologia, dum imperium assumit, non fun-  
 gitur ministerio, dominatur, non seruit, fidemve  
 non promouet, sed prohibet claræ reuelationi, quæ  
 continet mysteria summæ sapientiæ & caritatis diuinæ,  
 in quæ *Angeli voluere introspicere*, adoranda, non subji-  
 cienda iudicio rationis & tribunali quasi critico-diale-  
 ctico. 1. Cor. II, 6. 8. Eph. III, 8. 9. 10. 1. Pet. I, v. 12. Rom.  
 XI, v. 33. quæque a gratia & testimonio Dei pendet.  
 Matth. XVI, 17. non ab imperio rationis, quod debet  
 captiuari sub obedientia Christi 2. Cor. X, 5. Certe na-  
 turæ lum n nimis infirmum, & debile nimis est vel in  
 rebus humanis, nedum vt fidei iudex statuatur. An  
 ergo illud clarum & euidens satis erit ad infiniti Dei  
 mysteria reuelata discernenda, iudicanda & compre-  
 hendenda æterna, & statuatur infallibilis fidei magistra,  
 & norma verbi θεοπνεύστ? Et anne notum est, Deum  
 esse ἀκατάληπτον i. e. incomprehensibilem? An ergo  
 oportet rationem finitam fidei, quæ in illum Deum  
 & in æterna fertur, normam statuere? Quam insanum  
 est ita cogitare: æternum illud ac omnipotens Nu-  
 men non plura reuelasse, vel reuelare posse, quam nos  
 mente finita assequimur vel cognoscimus. Bene hoc  
 vtrius-

vtriusque oppositionis respectu *Augustinus ad Honoratum*: *Rationis est, nulla ratione reddita, Deo credere.*

§. X. Atqui hoc iacto semel fundamento, vana *Rationalistarum* & *Naturalistarum* collabascit hypothesi. Si enim illa valeret, & ratio esset audienda, vt norma rerum sacrarum, sequeretur; nullam dari notitiam Dei, nihilque de Deo credendum, nisi quod per rationem de ipso imperfecte satis cognosci potest, & quæ de Deo eiusque beata Oeconomia gratiæ in Scriptura reuelantur, non vterius quid patefacere, quam quod natura duce de Deo innotescit. Quo ipso concideret reuera omnis Theologia reuelata, tribueretur lumini naturali vera salutaris & sufficiens notitia, refragante Scriptura S. Matth. XI, 25. 1. Cor. I, 20. 21. Euerterentur fidei Christianæ mysteria, etiam in antiqua Ecclesia contra Philosophorum gentilium d'cteria a Patribus vindicata. Et confunderetur denique lumen *naturæ* & *gratiæ*, quæ dona & cognoscendi principia sibi inuicem non sunt contraria, sed iusto ordine subordinata. Id quod perspicue docet acutissimus *Iob. Musæus in Introduct. ad Theol. parte II, cap. V, §. 12.* l. mites horum principiorum definiens; quodque reuelatio nunquam tradat dogmata, quæ sanæ vel sobriæ rationis principia evertant, imo potius confirmat, diuinissimas reuelationes rationis suffragium illustrare, perficere, & altius euehere, vt homo res, rationi ante reuelationem non cognitas, admittere non amplius fastidiat, sed reuelationem diuinam naturali ratione superiorem agnoscat. Adeoque res diuinæ, & ex reuelatione cognoscendæ, rationem quidem superant, nec ab illa inueniri possunt, postquam vero supernaturalia, beneficio reuelationis,

rationi innotuerunt, ratio venerata reuelationem, antea sibi incognitam, suscipit. Etsi igitur naturale lumen sibi relictum nunquam cognouerit lapsum hominis, & inde orta mala, nec ordinem gratiæ, & mysterium Trinitatis; hisce tamen doctrinis sublimioribus non aduersabitur. Ergo religio Christiana non est *contra* sed *supra* rationem finitam. Proin caute hic quisque rem suam agat, ne fixos transfiliat rationis limites, sed humanarum virium imbecillitatem demisso, agnoscat animo. Sic euitabit *naturalismi* & *rationalismi* scopulos sat periculosos.

PARS II.

§. XI.

**V**erum est naturalis quasi hæresis, & congenita homini lapsu, sibi placere in suis consiliis, & confictis de seipso superbis ideis, ignara reuera sui & diuinarum perfectionum. Ergo non id vitium est recens, sed fuit omnis sæculi. Neque enim alia ratione gentiles inducti in templum Dei, facta gentilismi cum Iudaismo & Christianismo adulterina commixtione, quam per Philosophiæ & rationis humanæ abusum. Post captiuitatem Babylonicam Gentilium Philosophiam Iudæi in suam introduxerant religionem. Inde *Phariseorum*, *Essæorum*, & *Sadduceorum* enata sectæ. Illi Stoicos, isti aliquid de Pythagoræis mutuauerant, hi Epicuræos sequebantur. Opinionibus sic facti *ψυχικοί*, naturales plerique homines, non habentes spiritum Dei, Apostatæ a fide Patrum.

§. XII. Et irrepfit eadem pestis idemque abusus in Christianorum societatem, qui enim vel ex iudæis vel gentilibus, hoc errore infecti, Christianorum sacra ample-

plectebantur, hunc inolitum quasi non illico eiurare poterant. Ut iure ita dixerit *Tertullianus*, *Hæreticorum Patriarchas esse Philosophos*, non sanos & lumen naturale subiicientes sublimiori illi ac reuelato lumini, sed qui plerumque vana *ambitionis gloria* occæcati, dictamen rationis, etiam indiuinis, temere sectati sunt. Imo *uarii in eo fuerunt, ut explicarent, ex quibus Philosophorum fontibus hæresum singularum venena promanarint*, uti *Hieronimus* scribit in *Epistola ad Magnum*. Et *Tertullianus in lib. de prescript. contra Hæret. c. 7.* sic ait: *Hæreses à Philosophia subornantur. Inde Aeones & formæ nescio quæ, & trinitas hominis apud Valentinum; Platonicus fuerat. Inde Marcionis Deus melior de tranquillitate. A Stoicis venerat. Et uti anima interire dicatur, ab Epicuræis obseruatur. Et ut carnis restitutio negetur, de vna Philosophorum schola sumitur. Et ubi Materia cum Deo æquatur, Zenonis disciplina est. Et ubi aliquid de Deo igneo allegatur, Heraclitus interuenit. Eadem materiæ apud hæreticos & Philosophos volutantur: idem retractatus implicantur. Sic profluxere hæreses, quæ totum Euangelium eiusque vim abnegarunt.*

§. XIII. Venerunt vero Paulus & reliqui Apostoli, ἐκ ἐν σοφίᾳ λόγῳ 1. Cor. I, 17. ἐκ ἐν πειθοῖς ἀνθρώπων ἢ σοφίας λόγοις. Simplicitas hæc fordebat hæreticorum Patri *Simoni Mago*, singularem γνῶσιν affectanti. Ergo iste primus Christianam miscebat religionem cum Paganismo, ut ait *Grotius ad cap. XXIV. Matth.*, cuius principia hauserat a *Dositheo*. vide *Zieroldi Entstehung zur Kircken Historie cap. 5. p. 337.* Impudentissimus hic impostor se sublimissimam virtutem esse dicebat fastu pseudo philosophico. Duplicem Deum fingebat: bonum & malum. Resurrectionem carnis negabat; A-

liasque falsas spargebat opiniones, Religionis Christianæ mysteriis aduersantes. vid. Zierold l. c. Huius vestigia infecuti Cleobius, Menander, Cerinthus, Hermogenes, Gnostici, Saturninus, Basilides, Valentinus, Marcion, Manichæus, Cerdon, &c. Quorum nefanda dogmata ex Philosophiæ abusu eleganter deduxit laudatus Zieroldus cap. 5. l. c. Quem etiam nonnullis Patribus Platonizantibus tribuit Colbergius. Nonnullos etiam ex veteribus *πλατωνίζων*, observat Riuetus in *Crit. Sac. c. 9. p. m. 73*; vtpote qui priusquam animum ad religionem adicerent Christianam, Philosophiæ Platonicæ addicti, eaque imbuti erant; Quia enim Plato Deum definit, vt ipse se Deus, his eam ob causam nomine Platonis vulgata dogmata multum placuerunt, adeo, vt Platonici haberentur, frequentioremq; Platoniorum operum lectionem Iulianus ipsis velut incompetentem obiiceret, quam quod recoctus ipsis, & personatus Moses videretur esse Plato, aut Moses atticiffans vid. Huetii *Demonstr. Euang. prop. 4. cap. 2. §. 14.* Hac occasione etiam nonnulli inuidiã omni Theologiæ mysticæ creare volunt, dum tres mysticorum vias, *purgatiuam, illuminatiuam, unitiuam* ex Pythagoræ Platonisque Scholis deriuant, eiusque culturam Patribus Platonizantibus tribuunt. Ita nimirum est, inquit celeberrimus Iacobus Thomasius in *Orig. Hist. Eccl. & Philos. p. 103.* *Theologia sacra cum Platonica Philosophia, que per secula priora maximos habuit admiratores, mixturam Clementi (Alexandrino) iam familiarem, quisquis ille laruatus fuit Areopagita, elaborauit in formulam Theologia mystica.* Vergatne autem in veræ Theologiæ mysticæ dedecus, quod quædam habeat cum *Platone* aut *Pythagora* consentientia, mihi



hi persuadere nequeo. Si semina veritatum in *Pythagora* vel *Platone* iuveniuntur, planè hæc reiicienda & cauillanda non esse arbitror veritatum rudera, & veræ ac antiquissimæ sapientiæ vestigia, quæ forsan *Plato* cum iudæis conuersatus, ex *Mose* hauferat. Nec scio, cur *Mysticis*, & patribus nonnullis fraudi esse debeat, quod in quibusdam *Platonem* sequantur; cum *Scholasticorum* & *Academicorum* turba *Aristotelem* sequatur, non rerum diuinarum intelligentia, prout ea in hominem Ethnicum cadere potuit, nec morum probitate, nec aliis dotibus aut virtutibus cum *Platone* comparandum. Res vero ipsa, quod animæ purgatione opus sit, vt homo à Deo illuminari, cum eo vniri, atque ita veræ felicitatis compos reddi queat, citra controuersiam in *Scriptura S.* fundata. vid. *Buddei dissertat. de καθάρσει Pythagoræo-Platonica*, *Jacobum* vero *Thomasi* um hic loqui de abusu constat. *Has duas enim*, inquit p. 104, *videlicet Theologiam Scholasticam & Mysticam dum hic nomino, ipsarum vitia, non admixtas vitiiis virtutes noto.* Et pag. 133. inquit: *Offerunt se in illa Theologia mystica, perinde vt in Stromatibus Clementis iuxta salutare herbas, noxia quedam, & spirantes Enthusiasmum.*

§. XIV. Vide quo deduxit *Arium* Philosophiæ suæ abusus, & fallax ratio rebellis fidei, negantem: *Christum esse coeternum & coessentialem Deum.* Scilicet mente comprehendere non poterat, qua ratione, qui genitus est, coeternus sit cum eo, qui genuerit. Ad rationem enim suam prouocabant *Ariani*, apud *Socrat. lib. II, 15. IV. 7.* conquerente hinc *Nazianzeno*: *Philosophorum γονέματα seu Aegyptiacas plagas in Ecclesiam irrepsisse Orat. XXVI, Et ita Hieronymus in Dial. adv. Lucif. Ariana heresis, inquit,*  
ma-

magis cum sapientia sæculi facit, & argumentationum rivos de fontibus Aristotelis mutuatur. Rationem naturalem etiam Pelagiani erexerunt in normam quasi fidei, ytpote incorruptam satis, nec requirentem spiritualem illuminationem. Itaque ingemiscebant, quod Philosophi in quaestione de fide non sederent iudices. Ita August. contra Iulianum Pelagianum liberi arbitrii vires plus nimium efferentem. *Omne ingenium hic exercebat in laude rationis, & clamabat: hanc esse veram & sanam sententiam, quam primo loco ratio, & dein Scripturarum muniebat autoritas.* Et mysteria Pelagii ex sola Peripateticorum philosophia promanasse pluribus obseruat Lanfrancus Tom. II. lib. 4. cap. 15. Horum genuina proles *Semipelagiani* atque *Scholastici*. Postquam enim ab his *Aristoteles* in limina Theologiæ receptus, obscurata fuit genuinæ facies Theologiæ, eaque in spinosam & rixosam mutata; primum per Lanfrancum & Lombardum, quos multi alii infecuti, à quibus tanti habitus *Aristoteles*, vt ei salutem adscribere haud erubuerint, vid. Tribbeck. *Historiam Natural.* cap. 6. p. 34. Quo ipso Euangelii vim & fidem in Christum, sine qua nulli contingit salus, imminuerunt, & vel cum crassioribus Naturalistis in eandem sententiam fere descenderunt. *Dum enim Peripateticam & Pelagianam doctrinam moderari voluerunt, duos homines condiderunt in vno, vnum Philosophum, alterum Christianum, vnum qui cum Pelagianis crederet, speraret, diligeret ex natura; alterum qui ex gratia; vnum qui virtutem propter virtutem coleret, alterum qui propter Deum, vnum qui gratiam respueudo superbisimè sibi ipsi ad beneuiuendum fideret, alterum infirmitatis conscium; & sic ab abusu doctrinarum philosophicarum & rationalismo quodã haud fuere immunes.*

§. XV.

§. XV. Post institutas elegantiores literas, & disciplinas Philosophicas a fordibus scholasticis in Italia primum repurgatas, reuixit ibi quasi nouaque sumsit incrementa, cum studiis *naturalismus* & *rationalismus* subtilis & crassus, multisque capitibus sese exeruit. Si quæras causam, non aliam dabo, nec dabit forte quispiam quam quod rationi, sub obedientia non veræ in Christum fidei, sed cæca Pontificis Romani antea ultra modum captiuæ, ultra modum quoque (altero extremo) postea unice litari cœptum. Sic ibi sparsum primum Scepticismi virus per *Andream Casalpinum* Philosophum Aristotelicum, vti id etiam obseruat *Parkerus in disp. de Atheismo* cap. 1. Sect. 24. & plures Athei latuere sub larva Interpretum Aristotelicorum vid. *Seckendorffii additiones des Christenstaats*. lib. 1. cap. 1. sect. 1. p. 651. De *Vanino* consulatur *Voetius in Disp. de Atheismo*. & *Spanhemius in Elencho* Controv. p. 621. de *Io. Bodino* autem *B. Dieckmannus* ex professo in erudita *dissert. de naturalismo* *Bodini* egit, nec non *D. Tribbeckov. in historia naturalismi* c. X. XI. Imo Socinianum virus prima sui origine concepit *Laelius Socinus* Senensis italus, qui familiari consuetudine vsus esse dicitur *Bernh. Ocbini*, *Valent. Gentilis*, *Pauli Alciata*, aliorumque, inita Societate virorum XL. in Venetorum ditione. Hinc privatis primum colloquiis & domesticis scriptis sparsere antitrinitarium virus, *rationi corruptæ* adblandiens. *vid. Spanhemii Elench.* p. 139. *Laelii* nepos *Faustus* propagauit per florentiorem orbis Europæi partem, hanc hæresium quasi lernam. Proinde ne mireris, magnis successibus multorum animos infecisse quoque vel crassioris naturalismi virus. Videmus enim, vbi talis philosophandi libertas homi-

D

ni-

nibus, propriæ sapientiæ opinione turgentibus, grata obtinuit; ibi magis magisque ferdere cœpit, *magnum illud Pietatis mysterium*, quod in cœlo natum, & Evangelii purior doctrina impugnata. Eminus quasi conspiciamus Belgica & Anglicana littora, ipsis tamen Belgis & Anglis conquerentibus, Ecclesias scholasque harum gentium, quem inuenimus *Credendi Libertinismum & Philosophandi abusum*? In ipsum vulgus innocuit ibidem *Benedicti Spinoza* nomen, is cum *ex Cartesio* didicisset, de omnibus dubitare, nihil diuini primum in sacro Codice reperire potuit, & postea nihil veritatis in ipsa naturali cognitione Dei. Sed inuenit in se ideam extensionis infinitæ, inque ea acquieuit, vt quicquid de Deo diceretur, mundo tanquam vnica substantiæ voluerit tributum: Atheorum sic dux statorque evasit. vid. *Leidekkeri* dissert. de nouo *Atheismo*: Buddeus de *Spinozismo ante Spinosam* &c.

§. XVI. Controuersias de *Hobbefio*, *Herberto*, aliisque, qui religionem aliquam vniuersalem & prudentum, vniuerso humano generi ex illorum opinione salutarem formare tentarunt, attingere jam mihi per summam temporis, qua constrictus sum, penuriam, non licet. Videatur interim acutissimi *Musæi* tractatus, *Herberto* de *Cberbury* oppositus An. 1667. & editus de nouo Ienæ. A. 1675. Eiusdem peculiaris dissertatio aduersus *Stephanum Curcellæum*. A. 1670. *Spanhemii Elench.* p. 623. 624. *Kortboldtii* dissert. de tribus *Impostoribus* &c.

§. XVII. Neque alia ratione hodiernum *Sociniani*, vel qui sub hac larua latent mihi agere videntur, quam quod temere *rationem* principium cognoscendi ipsum, *normamque fidei* statuunt. Imo  $\pi\rho\omega\tau\omicron\nu$   $\psi\epsilon\upsilon\delta\omicron$  totius

totius Socinianismi est : extollere lumen naturale , ac  
 suppressere re ipsa necessitatem summam gratiosi ac re-  
 uelati peculiaris seu supernaturalis luminis. Idque imi-  
 tantur hodie eorum sequaces *Remonstrantes* satis mul-  
 ti. Non *Arminium* ipsum puto, sed huius dictos sectato-  
 res satis celebres , Socinismo hinc inde infectos. vid.  
 Spanhem. *Elench.* p. 240. seq. His iungo *Latitudinarios*  
 in Anglia, de quibus Petr. Iurieu in *Religione Latitud.* di-  
 cit, quod non alii hoc nomine designentur, quam ipsi So-  
 ciniani à Socino & Serueto deriuandi. vid. *Act. Erud.* 1697.  
 p. 54. seqq. Laudatus Spanhemius imputat eis in *Elencho*  
 suo p. 628. quod nimium rationi humana tribuant circa fi-  
 dei Christiana mysteria, statuuntque doctrinam Evangelii  
 huiusmodi esse, quæ sit rationalis, seu rationi naturali consona.  
 Quo modo loquendi, si intelligunt eam non esse contra  
 rationem, sed supra rationem, hæcenus consentirem, sen-  
 su superius allato, quem confirmat Raimondi de Sabon-  
 de *Theologia Naturalis*, vel ab A. Comenio editus *oculus*  
*fidei*. Ast contrarium ex contextu, horumque scopo fa-  
 cile elucescit. Petri Chauvini hypotheses in libro de *Re-*  
*ligione Naturali*, naturalismum ac rationalismum spi-  
 rantes, examinavit in animaduersionibus suis ad hunc li-  
 brum Celeberr. Buddeus. in *dissertatione quadam Inaugu-*  
*rati Halensi*, sub præsidio B. Baieri habita.

Peperit & nobis Socinianismus, & libertas hæc phi-  
 losophandi quæstionem in Belgio agitatum : *An Philosophia*  
*Scriptura S. interpres?* quam mouit peculiari scripto  
 Scriptor Anonymus; ast postea detectus Medicus quidam  
 Amstelodamensis Socinianismo procul dubio infectus,  
 quem Benthem in *Holländischen Kirchen-u. Schulen-*  
*Staat* part. II. cap. 2. Ludouicum Meierum vocat, vid.

etiam Tenzeli *Monastische Unterredung* A. 1698. p. 821. Agitata hæc controuersia postea inter Wolzogenium, Ioannem van der Wayen, & Vlicum Huberum. Et multos inuenit hæc opinio fautores, prout quisque captus erat amore solius philosophiæ, & luminis naturalis. Suffecerit nobis indicasse celebrem hanc controuersiam. Sententiam nostram ex *part. 1. huius diss. §. VII. VIII. IX.* beneuolus lector colligere poterit.

§. XVI. Sed quo delabor, & *abusum rationis in Theologia siue Naturalismum & Rationalismum* quæro in exemplis? non datur finis eorum, quibus in sacris liberrimè philosophari lubet. Surrexere, surgunt hodiernum, & surgent è Christianorum medio insurgentes in Religionis Christianæ mysteria. Horum copiosum fuit numerum Voërius in *disp. de Atheismo*. Copiosorem sistet posteritas. Quisque enim fere sibi nunc erigit scalas, quibus in cælum ascendat, diuina perremietur, & iuxta ideas, quas sibi fingit, religionem sibi format. Arbitrantur enim, multa adhuc integra, & intacta reliquisse antiquos in credendis, in quibus mens rerum nouarum cupida liberrime exspatiari, eaque excogitare possit, quæ maius acumen redoleant; quasi nulla de his fuisset cura Patrum donec hæc explendescerent lumina, & euauisset Spiritus Dei suos in omnem veritatem ducturus? In ea opinione cum sint persuasissimi, quid mirum si antiquorum placita superbiente, ac ultra diuina oracula sese efferente ratione abominantur, *maiorum* explodentes simplicitatem, & tamen vix antiquitatis gustum, sæpe vel leuissimum habentes.

PARS

PARS III.

§. XIX. Verum quam periculosum est & noxium Scripturæ Sacræ & huic *θεοπνεύσεως* principio aliud opponere, nempe *rationem* satis profanam, & ignaram consiliorum sapientissimi Dei, nec capacem eorum quæ sunt Spiritus Christi. Et videtur Diabolus primos parentes ad hanc hæresin instigasse, cum voluit ipsis persuasum, ulteriorem felicitatem sitam esse in propriis viribus. Scilicet, si libeat, liceret illis suo quasi conamine sapere, Deoque similes fieri, qui tantum adspiceret, quid homo *ἀνθρώπου* ad celsiora adspirans foret præstiturus. Gen. III. Hic est fons, uti malorum omnium, ita & *Naturalismi* & arrogantiae pseudo-Philosophicæ multis insitæ. Ecquid vero hic fastus, ignarus miseriæ ac gratiæ, alios parit fructus, quam mores vitamq; à mente Christi alienam? Cujus voluntati illa vita virtutesque conformes erunt exercendæ, quæ ex debita nostri notitia, è verbo revelato hausta, oriuntur, & illæ quidem sunt potissimum *spiritualis paupertas* Matth. V, 3. *humilitas* Pl. CXXXI, 1. *abnegatio propriae iustitiæ* Phil. III, 9. & refugium ad Deum Trinunum per fidem. Et hoc egregiè exprimit Origines contra Celsum mysteriorum Dei deblateratorem *lib. III. in fin. Ne cogitari quidem potest, inquit quid melius quam τὸ πιστεύσαι εἰαυτὸν τῷ ἐπὶ πάντι θεῷ* - - - seipsum concedere vel committere Deo, qui est super omnia, & sectari doctrinam abducentem à creaturis omnibus, & adducentem per vivum verbum, quod etiam sapientia, vita & filius Dei, ad Deum, qui est super omnia. Cujus vero gratiam respuit elatæ mentis Philosophus, aut *Naturalista*, ignarus quoque veræ humilitatis, quam nec ullus Philosophorum gen-

ilium etiam acutissimorum agnouit. Certè Arnoldus ille Geulingius, in præf. libelli ethici, quem inscribit *γνώσις σεαυτῶν*, absque ambiguitate effatur de Philosophis: *Omnes seduxit Philautia, inquit, neminem hic eximium facio, ne magnum quidem Platonem, qui eximendus erat, fateor, si quisquam. Soli Christiani, inquit, ex sacris hic aliquid sapiunt, soli: sed inter solos quam pauci!* Et quàm vera pronunciet Geulingius, testatur experientia. Pauciores enim inter Philosophos Christianos hîc verè sapiunt, ad sapientiam quippe mundi potius adipirant, quam ad eam, *quæ secundum Christum est*. Hinc rara inter eos pietas, & humilitas cordis, non philosophica, sed quam operatur Spiritus Sanctus, a quo nullum genus hominum magis remotum, quam illud quod Philosophorum & sapientum nomen magno sibi arrogat spiritu. Id vel veterè *Crescentum, Celsorum, Porphyriorum, Maximorum, Iulianorum*, & si qua aliorum, qui eius acuminis naturalis fuerunt, vel etiamnum sunt, exemplo constat. Ne dicam, quod morum externorum integritate, & vitæ quadam probitate, Philosophi gentiles nostratibus sæpius, liberius interdum & secundum dictamen corruptæ naturæ Deo exosum viuentibus, pudorè incutiant. Hosque parit mores *ratio tumida*: respiciens sublimiorem sapientiam, & sanctiora viuendi præcepta à Deo nobis reuelata.

XX. Ergo humiliore mente Deo vnita erit philosophandum, neque id curiosius indagandum, quo non assurgit mens humana limitibus circumscripta, quæque nos in hac vita voluit ignorare Deus. Non enim inde augetur Numinis reverentia, nec vera & non fucata morum probitas, sed redditur homo securus elatus, sibi fu-

is-



isque viribus fidens, non Deo. Quæcunque ratio re-  
bellis fidei obiicere, & impeditos quosdam nodos circa  
myſteria diuina neſtere ſolet, non mentis temerario  
acumine, ſed flexis genibus erunt ſubigenda, & fides  
habenda Deo verboque eius fallere neſcio. Hebetior  
enim eſt mentis noſtræ acies, quam Moſis oculi, qui ar-  
cana diuina intimius explorarunt. Et hæc etiamnum  
explorare velle, audacia eſſet, poſt hæc fata forſan luen-  
da. Ea ergo exploremus, quæ nos ducunt ad tranquil-  
liorem futuram vitam, & meliorem ac ſublimiorem ſa-  
pientiam Deo gratam. Eam vero vt conſequamini,  
*videte, ne quis vos decipiat per falſam Philoſophiam a DEO*  
*nos abducentem, & inaneſ fallaciam, ſecundum traditi-*  
*onem hominum ſecundum elementa mundi, & non ſecun-*  
*dum Chriſtum.* Tu vero beneuole lector breuitatem, cui,  
domum reuocatus temporisque anguſtia excluſus,  
nec tamen ſine ſpecimine quodam remigraturus, con-  
ſulere debui, æquibonique conſulas. Grauitas mate-  
riæ vberioreſ diſcuſſionem, fateor, requireret. Sed  
*ſtricturae* ſunt, quæ anſam fortean ſuppeditabunt eas  
copioſius aliquando, auxiliante DEO, illuſtrandi. Ego  
vero DEO T. O. M. pro exantlatis laboribus, & con-  
ceſſis hætenus viribus, ſubmiſſas refero  
grates.

F I N I S.

Sphalmata, quæ per feſtinationem irrepreſere beneuolus  
lector haud grauate corriget. Extantiora hæc erunt: pag. 4.  
lin. 11. lege *ἀλλων*. p. 5. lin. 7. lege Eiusque Simonis. p. 10. lin. vlt.  
lege per ſe. p. 15. lin. 22. lege *παραδωγων*. p. 16. lin. 8. lege reuo-  
catus. it. lin. 8. lege exa- it. lin. 10. diſtingue ex-p. 21. lin. 22. lege  
*ἐν θεωπίνης* p. 6. lin. 19. diſtingue naturali-



**Ο**ὗ δὲ μόνον τὸ σύων τὴν ἄμπελὸν ἐστὶ κακουργεῖν ,  
 Αὐτὰρ ἢ λογικὸν ψεῦδος ἀλωπεκίαν .  
 Ἀμφότεροι χριστῶ βλαβεροὶ τε βαρεῖς τε μαθητῆ ,  
 ὅς καθαρῶς ἐθέλει γράμματα ἰερά μαθεῖν  
 Ποίησαιτο θεὸς καθαρὰν τὴν ἄμπελον αὐτὸς ,  
 καὶ τέτοις πολλὰς εὐλογεοὶ πυκινῶς .

αὐτοχεδὼν ταῦτα Φιλτάτῳ αὐτῷ  
 συμπολίτῃ ἔγραψεν

**HEINR. CHRISTOPH. Wesselmann /**  
 ex agro Brokhagensium Rauensbergio Vestfalo,  
 sacrarum elegantiorumq. litterarum cultor.

**D**ies ist ein fester Satz in der Theologie :  
 Der Glaube richtet sich nicht nach Vernunft, Geschäften/  
 Nicht nach Natur / noch Kunst / noch Menschen-**W**is und  
 Kräften /

Nicht nach Gelehrsamkeit / noch eigner Phantasie.

Vielmehr in diesem Punct muß man auf Glauben seh'n /  
 Auch in der Glaubens-Kraft Vernunft gefangen nehmen ;  
 Anbey muß selbige sich nach der Schrift bequemen ;  
 So kan man unverrückt gewiß im Glauben steh'n.

Weil Er / Hochwerther Freund ! dis hierin obseruirt /  
 So kan Er in der Lehr' den besten Weg bewahren /  
 Und wird des Höchsten Huld ohn Wancken hier erfahren /  
 Dis Er einst lebt mit Gott von Zweifel unberührt.

Dem Autori, als seinem zu Helmstädt und  
 Halle Hochwerthem Freunde schrieb dies  
 ses stat einer Gratulation

**J. A. Speckhötel / S. Th. Stud.**  
 Palæo-Marchicus.

**I**n wohlbestelltes Feld zeigt endlich seine  
Früchte/

Die Biene durch die Müh ihr süßes Honig-  
Safft:

So kömmt / Mein Dreckmann / auch uns  
heute zu Gesichte /

Die Weißheit / so du dir durch Mühe ange-  
schafft.

Den Kern der Wissenschaft / die Probe guter  
Lehren /

Trägt uns dein holder Mund auf der Cather-  
der für /

Wir können dich mit Ruhm / mit Lust / mit Ru-  
ßen hören /

Fridriciana nennt mit Recht dich ihre Zier.

Ich seh das Vaterland sich schon im Geiste  
freuen /

Daß es des Vaters Bild in dir vollkommen  
sieht;

Der Höchste gebe nur hierzu Geist und Ge-  
denen /

Daß dir auch künfftig so Glück / Heyl und  
Ehre blüht.

Aus treu- und aufrichtigen Gemüht / sezet dieses  
des Herrn Authoris unveränderter  
Freund

**A. J. CONSRVCH,**

Bielfeld. Westph. LL. St.

E

Pro-

**P**rodigiosa crepat turgens dum Gnostica turba,  
Inscia, quid mirum, stupeat si concio plebis?  
Grandiloqui subito nam pendet ab ore magi-  
stri,

Sermonem spernens cœlo est qui missus ab alto.  
Huc igitur mentes reuocans erroribus actas  
Nobile tentat opus. Quem Tu DRECKMANNE  
laborem

Omne dum fausto exantlas, mea gaudia testor.  
Perge sequi CLARVS GENITOR quo præuius  
iuit;

Quodque TIBI verum manet alta mente repo-  
stum,

Id docto sat pectore cultum expromere perge.


Præclare Docto atque Eximio DN. AVTORI  
Dissertationis eruditissimæ publice eamdem  
tuenti, AMICO suo integerrimo

sincere gratulabatur

Reinh. Ern. Meyer,

Oldendorpiens. Rauensb.

Th. Cult.



**Q**Vos male sana malos fructus ferat indice sacro  
Codice, cui volupe est, discere quisque potest.  
Huic nocturna manus verset, versetque diurna,  
Proderit, & numquam commoda nulla dabit.  
Hinc Satanæ technas monstras doctissime DREK-  
MANN

Tu quoque, quas fugiat quisque salutis amans.

Gra-


Gratulor, & votis faciam, quæ vota valebunt  
Vt fiet hoc multis caussa salutis opus.

Ita populari, fautori & amico suo  
occinit Imq.

Jo. Heincr. Heilersieg,

Wehrterensis Rauensb.

S. Th. St.




**I**Nsanit ratio, quam non moderatur olympi  
Rector, nec ratio quid rationis habet.  
Cum primis prostrata iacet mysteria diua  
Scrutari tentans, & cadit alta petens.  
Namque Deus totum nondum penetrabile reclusit,  
Non impune vmquam tangitur arca Dei.  
Hæc docet incautos tua pagina, suavis amice,  
Faxit, vt ex votis hæc meditata fluant.

Ex animo hæc gratulabundus  
scripsit

Io. Heincr. Heidsieck,

Brokhaga Rauensb. Westph.

S. Th. Cult.



**M**Ein Dreckmann / daß der Fleiß kein leeres  
Werd gewesen /  
Den Du in Helmstädt so als Halle ange-  
wandt /

Davon läst du uns igt ein klares Zeugniß lesen;  
Denn Deine Wissenschaft wird öffentlich bekannt.  
Du

Du hast der Künste Perl das Gold der Himmels-  
Lehren/  
Wodurch des Nächsten Wohl und Gottes Ehre  
blüht/  
Mit Nutzen zugelegt und suchst sie stets zu mehren /  
So daß man Dich mit Ruhm auf der Catheder  
sieht.  
Mein Werther / fahre fort in Lehren und im Leben/  
Des Grossen Vaters Lust und Ebenbild zu seyn/  
Der Himmel wird hterzu so Geist als Kräfte geben/  
Daß Deine Weltlichkeit kan Gott und die Welt er-  
freun.  
Das theure Vaterland und die so werthen Deinen  
Verlangen Dich auch bald in diesem Stanz zu  
sehn/  
In welchen Sie bereits als helle Lächter scheinen ;  
Kurz: Gott laß alles Dir nach Herzens-Wunsch  
geschehn !

Dieses schrieb seinem Hochaeehrten Herrn  
Landsmann und sehr werthen Freun-  
de zu Ehren

J. E. Schwerdfeger /  
Herford. Westph. LL. Stud



PERILLVSTRI AC GENEROSO  
VIRO  
CLAMOR

von dem Busche /

S. REGIAE MAI. BORVSS. ET  
ELECTOR. BRANDENB. CONSILIARIO  
INTIMO, PROVINCIAE RAVENSBERGENSIS DI-  
RECTORI SVPREMO, HEREDITARIO IN  
IPPENBURG ET HARLING-  
HAVSEN.

DOMINO ET PATRONO SVO  
GRATIOSO.

PRIMITIAS HASCE ACADEMICAS

EA, QVA PAR EST, DEVOTIQNE SACRAS  
ESSE VOLVIT

Cliens deuotus

AVTOR

*Vir Perillustris ac Generose, Domine &  
Patrone gratiose.*



*Cio, Gratiose Patrone, quo  
animo sis in sanctiores lit-  
teras, eosque, qui seillis  
consecrarunt. Et quibus  
id cognitum vel reipsa ex-  
pertum est, illi nunquam non merita  
Tua*



Tua celsis elogiis ornant, ac pia mente  
colunt, recoluntque. In quorum nume-  
ro cum & ego sim, peccarem, nisi pa-  
trocinium Tuum, quod in me nostram-  
que familiam singulare semper fuit, pu-  
blicis prædicarem verbis. Sustineo er-  
go, *Gratiosè Patrone*, leues hæc pla-  
gulas, quas pietatis meæ, quam stylus  
hicce non capit, & laborum Academi-  
corum specimen aliquod esse volui,  
*Per illustri Tuo* inscribere *Nomini*. Sus-  
cipe eas placido, vt soles, vultu, &  
licet monumentum ære perennius non  
sint futuræ, sibi tamen de æterna *No-*  
*minis Tui* memoria perpetuo gratula-  
buntur. Quod superest, in votis ad  
Deum, pro salute ac felicitate Tua, bo-  
nis omnibus certamine quodam opta-  
ta, & patriæ salutari, fuis ac semper  
fun-

fundendis, conquiesco. Hoc modo  
concede, vt & in tutela *Perillustri* Tui  
*Nominis* conquiescere pergat

## EIVSDEM

Scribeb. Halæ Magdeb.  
in Regia Fridericiana  
d. XXVI. Mart. Anno  
MDCCVIII.

Deuotus Cultor

AUTOR.

S.  
EL  
IN

n/  
n/  
/

✓

054556

ULB Halle

3


004 220 501



201







B.I.G.

Farbkarte #13

STRICTURAE HISTORICO-THEOLOGICAE

In varia

# Naturalismi & Rationalismi Capita,

Quas

*occasione loci Coloff. II, 8.*

D. O. M. A.

IN REGIA FRIDERICIANA

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

**PHILIPPO WILHELMO,**

PRINCIPE PRUSSIAE, MARCHIONE BRANDENBURGICO, AC DUCATUS MAGDEBURGICI GOVERNATORE,

ET RELIQUA

PRÆSIDE

**PAVLO ANTONIO,**

THEOL. D. PROF. PUBL. ET CONSIST. DUCAT. MAGDEB. CONSIL. h. c. F. DECANO,

PRÆCEPTORE SVO AETERNUM VENERANDO,

placido eruditorum examini  
submittit

AUCTOR - RESPONDET

**BERNHARD GEORG. DRECKMANN.**

BIELFELDIA - WESTPHALVS.

A. D. 2. MARTII MDCCVIII.

HALAE MAGDEBURGICAE,

Literis CHR. HENCKELII, Acad. Typogr.